



Nf. 24.

PROGRAMMA SACRUM,
²⁷⁰
 ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ
 PRO-RECTOR ET CANCEL-
 LARIUS,
 IOANNES PETRUS
 A LUDEWIG,

SEREN. AC POTENT. BORUSSIÆ REGIS
 CONSILIARIUS INTIMUS AC REGIMINIS MAG-
 DEB. JURIUM AC HISTORIARUM PROFESSOR OR-
 DIN. ET TOPARCHA BENDORFII, PREZÆ ET GAT-
 TERSTADII, RELIQVA,

UNA CUM

DIRECTORE ET PROFESSO-
 RIBUS RELIQVIS,
 CIVIBUS ACADEMICIS
 DIGNAM FESTI
 NATIVITATIS CHRISTI
 CELEBRATIONEM,

ET SPECIATIM


PIAM SCALÆ JACOBÆÆ MEDITATIONEM,
 QVAM HUMANISSIME COMMENDAT.

HALÆ MAGDEB.

LITTERIS IOH. CHRISTIANI HENDELII, Acad. Typogr.

PROGRAMMA SACRUM
 ACADEMIE FRIDERICIANAE
 PRO-RECTOR ET CANCELLARIIUS
 IOHANNES PETRUS
 ALDREWIG
 SERENISSIMO POTENTISSIMO REGIS
 CONSILII PRINCIPALIS IN OMNIBUS REBUS
 DEPTURUM HISTORICUM PROFESSOR OR
 DIRECTOR ET PROFESSOR
 CIVILIS ACADEMIAE
 NATIVITATIS CHRISTI
 CELEBRATIONEM
 PAMSCARAE JACOBAE MEDITATIONEM
 LITURGIAE IOH. CHRISTIANI HENDRIK. A. V. P. 1784





Sanctorum Patriarcharum facta & facta maxima ex parte fuisse typica, & rerum sacrarum, imprimis ad Christologiam pertinentium, representationem habuisse, inter alios etiam comprobatur vita *Jacobi*. In qua uti memoratu digna sunt omnia: sic imprimis curatiorem considerationem meretur *visio scala* nocturna, dormienti exhibita, & a Mose capite *Geneseos XXVIII.* hoc descripta modo: Jacobus a patre suo *Isaaco* ad *Labanum*, avunculum suum, religiosi matrimonii causa e *Palæstina* in *Mesopotamiam* ablegatus, statim ad iter se accinxit. Ad tractum vero urbis & agri *Lus*, in confinio tribuum *Benjamin* & *Ephraim* situm, *DEI* ductu delatus, & nocte opinione sua celestius oppressus, locum, quem in eo serius occupaverat, elegit cubile; durum quidem; at placidissimum tamen, pro sua animi, in provida *DEI* cura ac gratia recumbentis, *aut apuè*. Quæ quo major erat, eo magis vel durissimum lapidem capiti suppositum in molle parabat cervical. Cum post preces, quas procul dubio ad *DEUM*, solus cum solo versatus, direxit, placide obdormivisset; en! per somnium divinitus immisissimum ipsi objicitur species admiranda, admirandi mysterii imaginem exhibens. Videt enim tantæ longitudinis scalam, quæ, ante ipsum e terra erecta, summitate sua

cœlum attingit, cœlum cum terra hac ratione conjungens. Quod vero admirationem auget, sunt sancti angeli, qui certatim per scalam istam descendunt & ascendant, ipso angelorum Domino, JEHOVAH, in ejus capite consistente, editoque oraculo gratiæ plenissimo confopitum sic alloquente: *Ego sum Jehovah, DEus Abrahami, patris, seu avi tui, & DEus Isaaci: terram, super qua recubas, tibi dabo & semini tuo. Et semen tuum erit instar pulveris terra, & multitudine erumpes occasum & ortum, nec non septentrionem & meridiem versus, & benedictio obtinget in te ac in semine tuo omnibus gentibus terre!* *u. r. l.* Quibus visu & auditu, quem sancta habebat imaginatio, sic perceptis, vir DEI somno solutus præsentiam DEI plane singularem in illo loco agnoscit, eumque angusto *domus DEI & porta cœli* patenti nomine insignit, erectoque, & typico unctionis ritu consecrato, monumento, quale extemporalis opera e lapideo illo cervicali & reliquo lapidum congestorum cumulo paraverat, pium DEO ductori ac præfidi votum nuncupat, idque duplex: unum de loco post felicem reditum a DEO concessum ad divinum cultum destinando; alterum de decimis, in usum sacrorum, ex omnibus bonis a DEO donatis debita cum eucharistia solvendis.

Sensum scalæ mysticum si consideremus, eum hic multo fecundiorum deprehendimus, quam qui uno respectu possit evolvi. Non est dubium, Jacobo proxime repræsentatam fuisse *providentiam DEI*, ipsum, in itinere hoc iras fratris Esavi effugientem, & ope humana destitutum, benignissime ducturi & reducturi. Hoc enim continent ac promittunt ultima hæc allegati oraculi verba: *Ecce ego tecum: Ego custodiam te, quocumque perrexeris, & reducam te ad terram banc: nam non dere-*

derelinquam te, donec effecero, quæ elocutus sum tibi. Cui
 rei sic significatæ ipsius signi analogia haud inconcin-
 ne respondebat. Etenim DEUS, in fastigio scalæ con-
 sistens, se summum exhibuit hujus universi rectorem,
 qui rebus omnibus præsideat, & omnia ad nutum su-
 um per varias vias modosque, tanquam scalæ gradus,
 quam sapientissime gubernet. Et uti scala cælum cum
 terra conjungebat: ita indicatum fuit, alma DEI
 providentia res humanas, non obstante cæli & ter-
 ræ distantia, tanquam proximas & conjunctissimas,
 curari; & quidem adhibito angelorum λειτουργιών mi-
 nisterio, ad solertissimam divinorum imperatorum
 executionem, inprimis apud fideles DEI fervos filios-
 que, destinato. Hebr. I, 19. Psalm. CIII, 20. 21.

Quandoquidem vero divina *providentia*, quæ cir-
 ca genus humanum, & quam maxime specialis illa, quæ
 circa credentes versatur, *federi gratia*, cum humano ge-
 nere in Christo inito, innititur; istius exhibitum fuisse
 emblema, eo minus dubitari potest, quo evidentiora
 hujus rei indicia exstant. Nam non solum totius o-
 raculi, a DEO scalæ præside, prolati, nervus accentrum
 est in confirmata, quæ jam Abrahamo & Isaaco data
 fuerat, promissione de Messia nascituro, divinamque
 gratiam in omnes gentes quam amplissime diffusuro:
 sed ipse etiam Messias adhuc ἀσάρετος scalæ præsidet &
 Jacobum Φιλανθρώπων compellat, ipse de se ipso locu-
 tus. Id quod quemadmodum ex integra theophania-
 rum serie, quæ patriarchis obvenit, & Messia quam
 maxime propria est, haud obscure constat: sic ex eo
 etiam manifestum est, quod hic ipse JEHOVA, qui
 Jacobum exhibita scalæ figura in Mesopotamiam du-
 xerat, resque ejus omnes supra votum ejus secunda-
 verat, ipsum in Palæstinam, posteris ejus promissam,

redicturus, & ipsi per visionem nocturnam adparens
 Gen. XXXI, 3. n. seqq. vocatur ANGELUS DEI: quod
 nomen Messiaë esse, res ipsa indicat, & e locis V. T.
 plurimis aliis est notissimum. *Ego sum*, inquit hic
 ANGELUS DEI, *DEus ille Bethelis, ubi unxisti statuam,*
ubi dixisti mihi votum: nunc surge, exi e regione hac & redi
in regionem cognationis tue. Huc accedit ipsa ipsius Sal-
 vatoris nostri *ἐνοδεν* interpretatio, quam apud Joannem
 c. I, 52. hæc ad Nathanaelem dicta verba habent:
Amen, amen dico vobis: ab hoc tempore videbitis cælum aper-
tum & angelos DEI adscendentes, & descendentes super fili-
um hominis. Ubi quemadmodum ad visionem Jaco-
 bi respici, non est dubium: sic inde simul liquet, ea
 mysterium de Messia, ejusque *ἐνοδεν* & redemptio-
 nis opere, fuisse adumbratum. Exhibet vero scala
 hæc diversa in mysterio Christi *ἐνοδεν* momenta, uti
 sunt:

1. *Cæli & terre*, seu DEI & humani generis, *conjunctio*
in Christo. Quemadmodum enim scala una atque
 eadem inter cælum & terram *media* hanc illi con-
 junxit: ita Christus DEum inter ac homines sic est
medius, ut, divinam ac humanam habens naturam,
 secundum utramque ipse sit *ὁ μεσίτης*, mediator. I.
 Tim. II, 5.
2. *Diversi gradus descensus & adscensus*, uti in scala con-
 spicui; sic in diverso Christi statu exhibitum Io. III, 13.
 XVI, 28. Phil. II, 6. seqq. ubi ratione exinanitionis in-
 finitus fuit in sepultura, qua scala hæc *ὑποστατική* ter-
 ram singulari modo contigit; respectu exaltatio-
 nis supremus in gloriosa ad dextram DEI confessio-
 ne, adscensionem proxime infecuta.
3. *Cæli apertura*, uti in scalæ summitate *τοπωὸς* con-
 specta; ita in Christo, tanquam *patentissima cæli por-*
ta,


ta, sensu evangelico impleta. In Christo enim patefactum habemus aditum ad Patrem: ad Patrem, qui e caelo aperto super filium suum, in ejus baptismo, hoc edebat oraculum, gratia plenissimum: *Hic est filius meus dilectus, in quo acquiesco.* Matth. III. 17. conf. c. XVII. 5. 2. Pet. I, 17. Unde amplissimi gratiae per ipsum partae thesauri ad nos demittuntur. Jo. I. 16.

4. *Via ad apertum caelum* per Christum explanata & parentissima. Unde Christus ipsa *viz ad Patrem* vocatur, Hebr. X, 20. 22. & sic semet ipsum vocat Io. XIV, 6. via per vivam fidem ita ineunda, ut, animo magis magisque sursum everso, subinde arctius cum DEO jungamur, eique conformiores reddamur.

5. *Beatum angelorum consortium* a Christo, angelorum Domino, humano generi restitutum. Uti enim sancti angeli, Christi causa, in descensu adscensuque, *πνευμαλοωγεντες* tali, fuere frequentissimi Jo. I, 52. utpote quos Salvator in nativitate, tentatione graviore, perpeffionibus, & in ipsa resurrectione & ascensione, ad gloriosum suum ministerium habuit paratissimos, eosdem etiam in illustri ad judicium extremum adventu satellites quasi a latere suo habiturus: ita fideles inde hoc habent beneficii, ut admirabili angelorum custodia ac praesidio beentur, & aliquando *ιδρυγελου* sint futuri. Luc. XX, 36.

Ecce! VOBIS, CIVES OMNIUM ORDINUM FLORENTISSIMI, materiam, meditationi vestrae sacrae, per hasce ferias, nati SALVATORIS memoriae sacras, a nobis paratam, & addendam illi materiae, quam sermones praekonum ecclesiasticorum publici subministrabunt, & quam in sacris pandectis ipsi habetis copiosissimam. Vita nostra omnis mera est *peregrinatio*, itineri Jacobaeo similis. Meta propofita est
una

una omnibus, æternitas, ad quam nos ultima rerum
 nostrarum linea, mors, opinione nostra celerius intro-
 mittit. Et ad hanc non tendimus, nedum pertingi-
 mus, recte, nisi tendamus sursum, mente, instar scalæ
 Jacobææ, ad cœlestia sincere & avide erecta. Non
 autem hic mentis nostræ ascensus recte se habet,
 nisi a descensu filii DEL, ad salutiferam *ἐνορέησιν* & ad
 redemptionis opus factò, dirigatur. Hic enim descen-
 sus nobis eas gratiæ divinæ divinorumque chari-
 smatum opes, e cœlo demissas, adfert ac confert, qui-
 bus quo magis sumus illustrati, eo promptius ad DE-
 um subvehimur. Quare dies hocce festos ita collo-
 cate, ut meditatio vestra, piis precibus debite condita
 promotæque, sit sancta, & continua *mentis* vestræ ad
 DEum *ascensio*. Percommode illi incidunt in ipsam
 hujus anni clausulam. Quæ quando bona est, bo-
 num erit atque faustum novi, qui instat, anni initium,
 cum integro ejus decursu. Esto itaque ea optima,
 inter alia etiam in sincera nostri exploratione, qua
 conscientiæ integritate, aut labe, jam ad finem de-
 currens annus transactus sit, consumenda. *Ecce! ego
 sum tecum, te custoditurus, quorsum ieris, cetera;* ultima
 erant verba oraculi divini Jacobo dati. Certe nobis
 nihil esse potest salutaris & magis necessarium, quam
 si DEum habeamus *nobiscum*, fidissimum nostri custo-
 dem, viarumque nostrarum præsidem ac ducem per
 omnem vitam, & proxime per instantem annum. Ha-
 bebimus vero quam certissime, si, Jacobi fidem ac
 pietatem gnaviter æmulati, *fidenter & fideliter*, seu cum
fiducia & sanctimonia, uti fert genuina evangelii & le-
 gis applicatio, coram facie ejus omnipræsenti am-
 bulemus. Halæ Magdeb. P. P. in ipsis feriis
 natalitiis. A. O. R. MDCCXXVII.



Ja 1586

ULB Halle

3

001 508 687




St

VD 78

VD 78





PROGRAMM
 ACADEMICUM
 PRO-RECTOR
 LUDWIG
 IOANNES
 A LUDWIG
 SEREN. AC POTEST.
 CONSILIARIUS IN
 DEB. JURIUM AC HIST.
 DIN. ET TOPARCHA
 TERS
 DIRECTOR
 RIBUS
 CIVIBUS
 DIGESTORUM
 NATIVITATE
 CELEBRATA
 ET
 PIAM SCALÆ JACOBI
 QUAM HUMANA
 HABILITAS
 LITTEPIS IOH. CHRISTI



Farbkarte #13

Blue
 Cyan
 Green
 Yellow
 Red
 Magenta
 White
 3/Color
 Black

B.I.G.

US

GIS
MAG.
OR.
T.

TI

EM,

ogr.

